

**DOMINICA INFRA
Octavam Nativitatis
Dómini.**

**Lectio Epistolæ Beati
Pauli Apóstoli ad
Gálatas.**

Gal. 4.
FRatres, Quanto tempore hæres pãrvulus est, nihil differt à servo, cum sit dõminus ómnium: sed sub tutoribus & actoribus est usque ad præfinitum tempus à patre: ita & nos, cum essẽmus pãrvuli, sub elemẽtis mundi erãmus serviẽtes. At ubi venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum, factum ex muliere, factum sub lege, ut eos, qui sub lege erant, redimeret, ut adoptionem filiõrum reciperẽmus. Quõniam autem estis filii, misit Deus Spiritum Filii sui in corda vestra, clamãntem:

Abba, Pater. Itaque jam non est servus, sed filius. Quod si filius: & hæres per Deum.

**INFRA OCTAVAM
Nativitatis Dómini, Epistol. Charissime. Appãruit benignitas; ut in
secunda Missa Nativitatis ejus, pag. 11.**

**IN FESTO SANCTI
Silvéstri Papæ & Confessõris; Epistola, Charissime, Testificor coram Deo: de comm. Doctõrum, pag. xv.**

**IN DIE CIRCUMCISIONIS,
& Octava Nativitatis Dómini, Epist. Charissimẽ, Appãruit gratia Dei; ut in prima Missa Nativitatis, pag. 11.**

**IN OCTAVA
Sancti Stéphanii, S. Joãnis, & Sanctõrum Inno-**

cen-

**IN EPIPHANIA
DOMINI.**

Lectio Isaiaë Prophætæ.

Isai. 60.
Surge, illuminaere Jerusalem: quia venit lumen tuum, & gloria Dómini super te orta est. Quia ecce tenebræ operient terram, & caligo pópulos: super te autem oriẽtur Dóminus, & gloria ejus in te videbitur. Et ambulabunt Gentes in lumine tuo, & reges in splendore ortus tui. Leva in circuitu oculos tuos, & vide: omnes isti congregati sunt, venerunt tibi: filii tui de longè venient, & filia tuæ de latere surgent. Tunc videbis, & afflues, & mirabitur, & dilatabitur cor tuum, quando conversa fuerit ad te multitudo maris, forti-

tudo gentium venerit tibi. Inundatio camelorum operiet te, dromedarii Mádian & Epha: omnes de Saba venient, aurum & thus deferentes, & laudem Dómino annuntiantes.

**DOMINICA INFRA
Octavam Epiphaniæ.**

**Lectio Epistolæ Beati
Pauli Apóstoli ad
Romãnos.**

Rom. 12.
FRatres, Obsecro vos per misericordiam Dei, ut exhibeãtis corpora vestra hostiam viventem, sanctam, Deo placentem, rationabile obséquium vestrum. Et nolite conformari huic sæculo: sed reformamini in novitate

C 2

sen-

sensus vestri: ut probetis quæ sit voluntas Dei bona, & benéplacens, & perfectæ. Dico enim per gratiam quæ data est mihi, omnibus, qui sunt inter vos: Non plus sapere, quàm oportet sapere, sed sapere ad sobrietatem: & unicuique sicut Deus divisit mensuram fidei. Sicut enim in uno corpore multa membra habemus, omnia autem membra non eundem actum habent: ita multi unum corpus sumus in Christo, singuli autem alter alterius membra: in Christo Jesu Domino nostro.

IN OCTAVA
Epiphaniæ. Epist. Surge,
illuminare; ut in die Fes-
to, pag. 19.

DOMINICA II.
post Epiphaniam.

Lectio Epistolæ Beati
Pauli Apostoli ad
Romanos.

FRatres, Habentes donationes secundum gratiam, quæ data est nobis, differentes: sive prophetiam secundum rationem fidei; sive ministerium in ministrando, sive qui docet in doctrina, qui exhortatur in exhortando, qui tribuit in simplicitate, qui præest in sollicitudine, qui miseretur in hilaritate. Dilectio sine simulatione. Odientes malum, adherentes bono: Charitate fraternitatis invicem diligentes: Honore invicem prævenientes: Sollicitudine non pigri: Spiritu ferventes: Domino serviennes: Spe gaudentes: In tribulatione

Rom.
12. b.

pa-

patientes: Orationi instantes: Necessitatibus sanctorum communicantes: Hospitalitatem sectantes. Benedicite persecuentibus vos: benedicite, & nolite maledicere. Gaudere cum gaudentibus, flere cum flentibus: Idipsum invicem sentientes: Non alta sapientes, sed humilibus consentientes.

DOMINICA III.
post Epiphaniam.

Lectio Epistolæ Beati
Pauli Apostoli ad
Romanos.

Rom.
12. d.

FRatres, Nolite esse prudentes apud vosmetipsos: Nulli malum pro malo reddentes: providentes bona, non tantum coram Deo, sed etiam coram omnibus hominibus. Si fieri potest, quod ex vobis est, cum

omnibus hominibus pacem habentes: Non vosmetipsos defendentes, charissimi, sed date locum iræ. Scriptum est enim: Mihi vindicta: ego retribuam, dicit Dominus. Sed si esurierit inimicus tuus, ciba illum: si sitit, potum da illi: hoc enim faciens, carbones ignis congeres super caput ejus. Noli vinci a malo, sed vince in bono malum.

DOMINICA IV.
post Epiphaniam.

Lectio Epistolæ Beati
Pauli Apostoli ad
Romanos.

FRatres, Nèmini quidquam debeatis, nisi ut invicem diligatis: qui enim diligit proximum, legem implèvit. Nam: Non adulterabis: Non occides:

Rom.
13. d.

Non

Non furaberis: Non falsum testimonium dices: Non concupisces: & si quod est aliud mandatum, in hoc verbo instauratur: Diliges proximum tuum sicut teipsum. Dillectio proximi malum non operatur. Plenitudo ergo legis est dillectio.

DOMINICA V.
post Epiphaniam.

Lectio Epistolae Beati Pauli Apostoli ad Colossenses.

Col. 3. b.

FRatres, Induite vos sicut electi Dei, sancti, & dilecti, viscera misericordiae, benignitatem, humilitatem, modestiam, patientiam: supportantes invicem, & donantes vobismetipsis, si quis adversus aliquem habet querelam: sicut & Dominus donavit vobis, ita & vos. Super omnia

autem haec, charitatem habete, quod est vinculum perfectionis: & pax Christi exultet in cordibus vestris, in qua & vocati estis in uno corpore: & grati estote. Verbum Christi habitet in vobis abundantem, in omni sapientia, docentes & commonentes vosmetipsos, psalmis, hymnis, & canticis spiritualibus, in gratia cantantes in cordibus vestris Deo. Omne quodcumque facitis in verbo aut in opere, omnia in nomine Domini Jesu Christi, gratias agentes Deo & Patri per Jesum Christum Dominum nostrum.

DO.

DOMINICA VI.
post Epiphaniam.

Lectio Epistolae Beati Pauli Apostoli ad Thesalonicenses.

1. Thes. 1.

FRatres, Grantias agimus Deo semper pro omnibus vobis, memoriam vestri facientes in orationibus nostris sine intermissione, memores operis fidei vestrae, & laboris, & charitatis, & sustentiae spei Domini nostri Jesu-Christi, ante Deum & Patrem nostrum: scientes, fratres dilecti a Deo, electionem vestram: quia Evangelium nostrum non fuit ad vos in sermone tantum, sed & in virtute, & in Spiritu Sancto, & in plenitudine multa, sicut scitis qualis fuerimus in vobis propter vos. Et vos imitatores nostri facti estis, & Domini: excipien-

tes verbum in tribulatione multa, cum gaudio Spiritus Sancti: ita ut factisitis forma omnibus credentibus in Macedonia & in Achaja. A vobis enim diffamatus est sermo Domini; non solum in Macedonia, & in Achaja, sed & in omni loco fides vestra, quae est ad Deum, profecta est, ita ut non sit nobis necesse quidquam loqui. Ipsi enim de nobis annuntiant qualem introitum habuerimus ad vos: & quomodo conversi estis ad Deum a simulacris, servire Deo vivo & vero, & expectare Filium ejus de caelis (quem suscitavit ex mortuis) Jesum, qui eripuit nos ab ira ventura.

DO.

DOMINICA
in Septuagesima.

**Lectio Epistolæ Beati
Pauli Apostoli ad
Corinthios.**

1. Cor.
9. d.

FRatres, Nescitis quod ii qui in stadio currunt, omnes quidem currunt, sed unus accipit bravium? Sic currite ut comprehendatis. Omnis autem qui in agone contendit, ab omnibus se abstinet: & illi quidem ut corruptibilem coronam accipiant; nos autem incorruptam. Ego igitur sic curro, non quasi in incertum: sic pugno, non quasi aërem verberans: sed castigo corpus meum, & in servitūtem redigo: ne forte cum aliis prædicaverim, ipse reprobus efficiar. Nolo enim vos ignorare fratres, quoniam patres nostri omnes sub nube fuerunt, & om-

nes mare transierunt, & omnes in Moyse baptizati sunt in nube & in mari: & omnes eandem escam spiritalem manducaverunt, & omnes eundem potum spiritalem biberunt: (bibebant autem de spiritali, consequente eos, petra: petra autem erat Christus) sed non in pluribus eorum beneplacitum est Deo.

DOMINICA
in Sexagesima.

**Lectio Epistolæ Beati
Pauli Apostoli ad
Corinthios.**

FRatres, Libenter suffertis insipientes: cum sitis ipsi sapientes. Sustinetis enim, si quis vos in servitūtem redigit, si quis devorat, si quis accipit, si quis extollitur, si quis in faciem vos cædit. Secundum ignobi-

li-

litatem dico, quasi nos infirmi fuerimus in hac parte. In quo quis audet (in insipientia dico) audeo & ego: Hebræi sunt, & ego: Israelitæ sunt, & ego: Semen Abrahamæ sunt, & ego: Ministri Christi sunt (ut minus sapiens dico) plus ego: in laboribus plurimis, in carceribus abundantius, in plagis supra modum, in mortibus frequenter. A Judæis quinquies quadragenas, una minus accipi. Ter virgis cæsus sum, semel lapidatus sum, ter naufragium feci, nocte & die in profundo maris fui, in itineribus sæpè, periculis fluminum, periculis latronum, periculis ex genere, periculis ex gentibus, periculis in civitate, periculis in solitudine, periculis in mari, periculis in falsis fratribus: in labore & erumna, in

vigiliis multis, in fame & siti, in jejuniis multis, in frigore & nuditate: præter illa quæ extrinsecus sunt, instantia mea quotidiana, sollicitudo omnium Ecclesiarum. Quis infirmatur, & ego non infirmor? quis scandalizatur, & ego non uror? Si gloriari oportet: quæ infirmitatis meæ sunt gloriabor. Deus & Pater Domini nostri Jesu Christi, qui est benedictus in sæcula, scit quod non mentior. Damasci præpositus gentis Arætæ regis, custodiebat civitatem Damascenorum, ut me comprehenderet: & per fenestram in sporta dimissus sum per murum, & sic effugi manus ejus. Si gloriari oportet (non expe-dit quidem) veniam autem ad visiones & revelationes Domini. Scio hominem in Christo ante

D

an-